

187296 Schriften der

Sammler!

D 1872

2

AD
VIRVM
PRAENOBILISSIMVM ET CONSVLTISSIMVM
DOMINVM
DN. IOHANNEM
RODDE,
LVBECENSEM
CVM SVMMOS IN IVRE HONORES CAPESSENDI
LICENTIAM IMPETRASSET
GRATVLATIO EPISTOLICA,
QVAM
COMMENTATIVNCVLA
DE
SCHOLIS VETERVM IVRE - CONSVLTORVM
SPLENDIDO EIVS NOMINI INSCRIPTA
COMITATVR.
—
IENÆ
LITERIS PETRI FICKELSCHERRIL.



MVII
VIRO CONSULTISSIMO
IOHANNI RODDIO
S. P. D.
ADOL. GVIL. von Gohren.

Multa sunt, Amicorum optime! exque
egregia animi Tui dotes, quas simulac
dulcissimo Tuo consortio mihi frui li-
cuit, in Te magni fecit aciteque miratus
sum. Deprehendi in Te uno concentra-
ta quasi ea omnia, quae in illis, quos
ad magna destinavit divina providen-
tia, requiruntur, natalium scilicet splen-
dorem, miram ingenit felicitatem, prudentiam annis supe-
riorem, pietatem, candorem, justi rectique amorem, & qua
omnium Tibi concilias favorem, insignem humanitatem,
morumque elegantiam, ex quibus omnibus Te non Tibi
soli, sed patriæ & reipublicæ bono, non parvis sed magnis
rebus gerendis natum esse, haud frustra conjiciebam. Cum
autem hisce, quibus multis aliis præstas prærogativis in-
credibilem illum Tuum in studijs tractandis ardorem acce-
dere viderem, in spe mea de Te concepta confirmabar, cer-
tissime perfractus, Te clarum aliquando nomen in repu-
blica patriæ ac literaria consecuturum esse. Neque ha-
etenus spem meam fecellisti, sed supergressus es. Exspecta-
bamus eruditio[n]is Tuz primitias, sed fructus edis juvenis,
si etatem species, vix annos viginti egressus, quos a sene

vix

vix maturiores exoptare potuissent. Quis enim quælo
(ut nihil dicam de privatis illis examinibus, in quibus illu-
stri Academiarum nostrarum Jure-Consultorum ordinis Virum Te
probasti,) in admirationem Tuonon rapiatur, qui Te in tam
gravi argumento, quod Juris Civilis, Canonici, & Anti-
quitatum ecclesiasticarum haud vulgarem supponit co-
gnitionem, proprio Marte, nemine praeunte, tam solide,
tam plene, tam eruditè versatum fuisse, animadverterit.
Quæ alias eruditè de primis ingenii productionibus judicare
solent, deesse illis ut plurimum illum perfectionis gradum,
ad quem auctores, in publicum literati orbis conspectum
prodire jam assueti, pertingunt, in hunc Tuum primum
ingenii foetum quin quadrent, valde dubito. Sed potius,
nisi amore Tui fascinatus halluciner, illud apprime operi
Tuo: *de Legatis ad piacausas*, convenire arbitror, quod de
(a) aureo Dallæi libro: *de usu Patrum &c.* primo quod in
lucem publicam emisit scripto pronunciat *Joannes Mettayer-
ru* in Epistola dedicat: Traditus hujus Dallæani, quem la-
tino sermone donatum Genevæ 1656. prelo subjecerat, ad
ipsum Dallæum directa: *Differi non possum laborum Tuorum
primitias, in statum nempe Tuum: de Patrum in decidendis religi-
onis controversiis usu, me maxime semper cepisse.* Non solum
enim opus istud minime verum lectu & scitu jucundissimarum dignissi-
marumque varietate referunt est, verum etiam tanta eruditione
at facundia argumentum illud pertractasti, ut vix quicquam ma-
gia elaboratum eruditio hoc seculo prodire videatur. Gratulor
itaque Tibi, Amicorum optime! ex animo de tam amplio
eruditiorum Tuæ specimine, quo primum orbi literato inno-
tescis, nomenque Tuum inter eruditos Lubecenses, qui
scriptis inclaruere, reponis. Celebre in republica literaria
adipisceris nomen in primo aetatis flore constitutus, sum-
misque dignum video Te in Jure honoribus condecorandum
judicant Antecessores nostri; neque de fore Tibi in republica

(a) De hoc incomparabili Dallæi opere judicia eruditorum refert Colomesius in Bibl. choise. p. 2. Les sentimens sont assis partagés touchant cet ouvrage de usu patrum. Les Presbytériens en font grand état, & les Epis-
copaux d'Angleterre, ne l'estiment guere. &c.

patria honores, quos virtus & præstantia Tua meruere, præ-
video. Non enim illa, quæ omnium favore digna sunt, merita
Tibi obstituta credo, neq; de quo gloriari Lubecenses possu-
mus, illi apud nos obtinent mores, illaque vigent tempora, de
quibus *Georgius de Monte Majore* scriptor Hispanus citante *Petro*
Matthæo in fine præfat: Historia Pacis conqueritur: (*) hisce
temporibus nil magis removere homines bene meritos a
muneribus & honoribus, quam si illis digni habeantur.
Sistes nobis aliquando Roddios redivivos, i quorum in Rei-
publicæ nostræ administratione magna ab aliquot seculis jam
sunt merita, & cujus gentis splendorem maximo cum pa-
triæ emolumento summaque nominis sui celebritate adhuc
fusinente illustris Lubecensium Consul, *Adolphus Matthæus*
Rodde, communis noster Patronus, Vir supra laudes meas
positus, & gravissimus ejusdem Reipublicæ senator *Her-
mannus Roddis*, vir itidem non sine elogio summo a me no-
minandus, deque nostris rebus optime meritus. Horum
ut & Avi Tui materni beatissimè defuncti *Johannis Siricii*,
Consulism quondam de Lubeca immortaliter meriti laudabili-
bus uestigis insistendo præclara, imo (ominari liceat!)
eadem Te quoque manebunt præmia. Hinc quoque gra-
tulor dulcissimæ nostræ Patriæ, quæ Tuis, id est, Viri omni-
nibus ad eam juvandam & ornandam dotibus in-
strucci consiliis aliquando regi servarique incolumis gau-
debit. Servet Te modo Deus saluum & sospitem, comi-
tetur Te itinera ad longe dissitas regiones parantem angelo
suo potenti, protegat Te alis suis, & quæ Tibi iminere pos-
sunt pericula, clementissime a Te avertat; reducat Te deni-
que incolumem ac superflitem in patriæ commodum, pien-
tissimæ Matris, egregiæ Matrone, solatum, bonorumque
omnium, qui eximiarum Tuarum virtutum cultores se
profundent, gaudium & delicum. Impleat benignissimum
Numen vera, quæ ego ex sincero amoris affectu, & inti-
mis cordis vii ceteribus pro Tua salute fundo.

Possem hic epistolæ filum abrumpere, cum quæ affe-
ctus in Te meus dictaverat, abunde satis sic expressa arbit-
trar.

(*) Estamos a tiempo, que mererer la cosa, es principal parte, para no al-
cangarla.

trer. Liceat tamen mihi Tua cum venia adhuc paulisper Te
detinere, publicumque amicitiae nostrae monumentum sta-
tuere. Video Te summa cum nominis Tui celebritate studiis
Academicis valedicere scholasq; Juridicas, quarum tres, quæ
inter celeberrimas referenda sunt, invisiſti, deferere, hinc
in mentem mihi venere *schola illa veterum ilorum*, de quibus
hae occasione pauca quædam apponere non absonum fore
judico. Fateor commentatiunculam hanc leviter breviter-
que nimis conscriptam Tuam Tuique æqualium id est do-
ctorum censuram haud sustinere, illam tamen, si nominis Tui
splendore collustrata fuerit, nobilem satis evasuram credi-
di. Hinc illa Tibi sit dicata ac consecrata. Tres autem tan-
tum in tam vasto Romani imperii ambitu, (quod mireris)
Justiniani adhuc ævo Juris scholas invenio, *Romam scil. Con-*
stantinopolin & Beryatum, ipso Imperatore teste in *Proximio de na-*
tione & methodo Juris docendi ad Antecessores §. 7. ubi volumi-
na Juris suo sub auspicio concinnata Juris studiosis tradi-
vult, tam in regiis urbibus *Roma scil. & Constantinopoli*, quam in
Berptiensum pulcherrima civitate, quam legum nutricis titulo
dignam esse censem. Et quo constet, omnes omnino alias civi-
tates hac insigni prærogativa excludendas esse, neque in
Alexandrina splendidissima civitate Cæsareensi aliisque
hanc legum doctrinam tradi vult, pœnam, qui secus fe-
cerit denarum librarum auri & rejectionem a civitate
minatus. *Romam* veterem quod attinet, quoniam
omnes civitates Romano imperio subjectæ consuetu-
dinem Urbis, ut quæ caput esset orbis terrarum & leges, se-
qui debebant, ut Justinianus loquitur *Leg. 1. §. 10. Cod. de ver.*
Jur. encl. quod pridem jam de Roma prædicaverat *Aristides*
in Roma encomio græce scripto, quod sub Martio Aurelio est edi-
tum: non opus scil. esse amplius, quibus singuli utantur leges, recen-
sere, quandoquidem *Romani* leges communes omnibus constituentibus
totum orbem tangam unam domum administrent p. 395; æ-
quum quoque erat, in legum hac parente, genitrice, matre,
uti a *Claudiano* vocatur *III. Paneg. Stilich. v. 136.* publicum Ju-
ris gymnasium instituere, cuius Doctores omnibus consi-
liis & responsis adesse, ac juventutem, quæ Legum studio fe-
municipaverat, mature hac scientia imbuere possent. Cum
autem

autem eadem Constitutione novæ Romæ idem orbis imperiū quo Verus gloriabatur, tributum esset, eadem quoque prærogativa, πατέρευθεν Legum scilicet esset eam ornare voluerunt Justiniani Antecessores. Id quod patet tam ex modo allegatis Justiniane proœmii verbis, quam ex Tit. *XXIII.* L. *XI.* Cod. *Justin.* qui agit de studiis Liberalibus Urbis Romæ & Constantinop. & professorum utriusque hujus Gymnasii numerum oratorum, grammaticorum, sophistarum, philologorum & denique Juris ac legum voluntates pendentium recenset. Inclita vero præcipue hoc nomine in oriente fuit *Berytus*, Phoeniciæ urbs, ad quam Romanarum legum ciberrimam scholam, omnes qui studiorum in Juris doctrina profectus optabant, confluxisse certum est. Vocatur alio nomine *Beroe*, id quod ex Epigrammate Theateti cuiusdam in Julianum Jure Consulatum, Lib. *IV.* Tit. *I.* *Anthon.* obvio, ubi Ρώμην τὴν Βερόην citantur, quæ Julianum Juris Consulatum, Νομικῆς Φαός summa laude extulissent; ex Johan. Barbucalli epigrammate in incendium Beryti & loco Nonni Dionysiacorum 3. apud Scaligerum *Animadv. in Eusebii Chronicon n. 1713.* p. 130. patet. Erat hæc civitas ab Augusti jam temporibus colonia civium Romanorum, eoque tempore Augusta vel Augustana dicta; ob insigne auctem legis studium, quod ibi excolebatur, legum matris, legum nutricis, matris studiorum in *Justiniani Imperatoria Constitutionibus*, ab *Eunapio præterea* & *Nonno Dionys.* Lib. *q.* justitiæ soli, urbisque legum nomine celebrata fuit. Et certe illam præ reliquis duobus legum acroteriis floruisse haud obscure ex inscriptione *Præmiij Justin. in digest.* quod ad Octo Juris Antecessores directum est, colligitur. Cum enim in illo, quem mox allegavi *Cod. tit. de stud. lib. &c.* duo tantum Romæ, totidemque Constantinopoli Professores legum numerentur, nec alibi, quam in hisce tribus civitatibus Juris præcepta tradi voluisset cum majoribus suis Imperator Justinianus ut supra ostensum, quatuor reliquos Berytenses fuisse quis dubitaverit. Accedit insignis illa *Geographi Anonymi*, qui sub Constantio floruit, ab eruditissimo Jac. Gothofredo vulgati & illustrati, Beryti commendatio, *illam nimirum habere juris auditoria, di vii menses in duas annas et*


7 Pugnacis, per quam omnia Romanorum tribunalia confabantur, & inde prodire Judicium seu Restorum in Romani orbis provinciis, qui ius
iisdem dicerent, *Affessores*. p. 12. Maximum urbis hujus orna-
mentum Agathias Lib. 2. in eo ponit, quod sedes fuerit Juris-
prudentia; multos enim juvenes nobiles & eximia jam eruditione
ibi adfuisse ait, ut Romanas addiscerent leges; fuisse enim hoc urbi
patrium, & veluti maxima honoris prarogativa, quod eumodi
schola ibi esset erecta. Fata quoque infelicia satis celebrissimi
hujus Jurisprudentiae Gymnasi idem enarrat scriptor,
ingenti sc. terra motu cum auditorum & doctorum cater-
va absorptam fuisse, cum jam Justinianus illi suos Juris Ci-
viles libros explicandos tradidisset. Sed idem tradit: trans-
latis tam diu Sidonem, vicinam Phoenicie urbem legum in-
terpretibus eo casu minime deterritum fuisse Justinianum,
quo minus hanc instauraret Legum sedem. Addatur hanc
in rem Antonini testimonium in *itinerario suo ab Egid. Menagio*
citatum in *Anenitatem Juris Civ. C. 24. p. m. 135.* Paulo autem post
hanc instaurationem inundatione & incendio iterum va-
statam ex veteri Græcorum epigrammatum libro (forsitan il-
lo Barbucalli supracitato epigrammate) nec dum tamen illis
cessisse tempestatibus observat *Fr. Baldinus ad L. si past. Cod. de*
pax. sub fin. Quis Imperatorū primus hasce scholas fundaverit,
earumque numerum fixerit, incertum est. Id tamen certum
jam ante Justiniani tempora hoc factū esse, cū ipse l.c. a retro
Principes & Majores nominet, qui nullis aliis, præter hæcce
tria, locis tale privilegiū (tradendi scil. auditoribus leges Ro-
manas) concesserint. Berytensis scholæ interim primā men-
tionem fecisse Gregorium Thaumaturgū, qui sub Alexandro
Severo floruit, in *orat. Panegyr. ad Orig.* obseruat, *Menagius*
l. c. p. 133. Memorat etiam juvenem quendam sub Maximini-
ano martyrio sublatum, qui studiis Beryti incubuerat, *Euse-
bius de Martyr. Palest. c. 4.* Hæc Berytensis scholæ gloria sec. ad-
huc VI. duravit teste Zacharia Mitylenæo, cuius contra
Ammonium scriptum reperire licet in *Bibl. Patr. Tom. XI.* qui
Berytum μητέραν νόμων appellat. Multos jam eruditione
juris insignes viros in hisce scholis olim docentes adducere
possem: Anatolium, qui Constantii imperatoris tempore

Be-



Berytum doctrina sua illustravit iuxta *Eunapium in Procreo p. 170.* exacta juris scientia consummatissimum & ob insignem peritiam, (quanquam *Ethnicus* (a) esset) a Constantio discipulo ejus (b) Vicarium Afix ac tandem Praefectum Prætorio Illyrici factum; Leontium cuius mentio apud *Sidonium Apoll. Julianum*, in cuius honorem Thexeti laudatum epigramma compositum; Theophilum, Cratinum, Constantinopolitanos; Dorotheum & Anatolium a priore isto diversum Berytienses, ab imperatore in *all. proœm.* magno cum encomio memoratos aliosque. Neque injucundum foret, an ab hisce scholis *χολασινοι* legum Professores an Causarum Patroni denominati fuerint, de quo argumento vid. interim *Gothofred. in not. ad l. 2. Cod. Theod. de Consess. Advoc. cur & quando nomen Antecessorum Juris Professoribus inditum fuerit, cuius jam in veteribus Græcorum epigrammatibus Justiniani xvo longe antiquioribus mentio occurrit, aliasque ad scholas hafce pertinentes antiquitates indagare, nisi limites hujus epistolæ, quibus includor, retrocedere juberent. Nil igitur restat, quam ut Tibi, Amicorum ocelli! me meaque commendans, antiquum Tuum amorem in posterum mihi integrum ut serves, Te obtester. Vale. Dabam Jenæ ex museo A. M DCCXIV. D. XIV. April.*

- (a) Inter ministros Christianorum principum gentiles hic referendus est Anatolius, de quibus ad imitationem Dom. D. Heinecii qui *de ministris principum gentilium Christianis erudit commentatus* est, elegans dissertatione conscribi posset. Fontes, unde horum hauriri posse, notitia præcipui forent: *Codex Theodosianus lib. XVI. Tit. X. l. XI. & XXI. & Prospographia praefantissimo huic operi à doctissimo ejus commentatore adiecta; Prudentius ad v. Symmachus; Symachi epistola. Libanius in Orat. Themistius in Orat. Ammianus Marcellinus cum notis Valesii, Philostorgii H. E. & dissertationes Gothofredi in Philostorgium, Zosimus &c. Cod. Theodos. subiuncte & l. XII. Cod. Justin. de dignitatibus.*
- (b) Notitiam harum dignitatum haurire licet ex J. Gothofr. *Notit. dign. l. XII. Cod. Justin. de dignitatibus.*




OOA 6357



f

56.

Photo





51.

AD
VIRVM
PRAENOBILISSIMVM ET CONSVLTISSIMVM
DOMINVM
**DN. IOHANNEM
RODDE,**
LVBECENSEM
CVM SVMROS IN IVRE HONORES CAPESSENDI
LICENTIAM IMPETRASSET
GRATVLATIO EPISTOLICA,
QVAM
COMMENTATIVNCVLA
DE
SCHOLIS VETERVM IVRE-CONSVLTORVM
SPLENDIDO EIVS NOMINI INSCRIPTA
COMITATVR.
—
IENÆ
LITERIS PETRI FICKELSCHERRII.